



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis**

**Chapeauville, Jean**

**Mogvntiæ, 1612**

35. Vtrum teneantur pastores vel alij quicumq[ue] sacerdotes sacramenta  
ministrare omnibus peste infectis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

88 DE NECES. ET MOD. MINIST.  
sideres, verum est quod dicit Innocentius,  
quia non tenentur ad decimarum perso-  
narium solutionem, nisi per annum habi-  
tarint in parochia. Si secundos, verum est  
quod diximus Scholares habere ius peten-  
di sacramenta à pastore loci in quo habi-  
<sup>a Panor. sup.</sup>tant bona fide studendi causa, (a) sine præ-  
finitione alicuius temporis, & cōsequen-  
ter pastorem statim obligari ad ministran-  
da illis sacramenta, præsertim extrema ne-  
cessitate spirituali occurrente.

### Q V A E S T I O    XXXV.

*Vtrum teneantur Pastores vel alij quicunq; sacra-  
dotes sacramenta ministrare omnibus  
peste infectis.*

#### Quæstionis explicatio.

**H**AECtenus ostendimus qui teneantur  
tempore contagioso sacramenta mi-  
nistrare siue ex debito iustitiae siue charita-  
tis: Respondeamus etiam variis ministrantū  
tergiuersationibus & excusationibus ex  
parte ipsorum petitis: Sequitur proxime, ut  
examinemus: An omnibus peste infectis  
pastores teneantur ministrare: nam etiam  
ex parte peste infectorum multa subterfu-  
gia tempore pestis prætexi solent, quibus  
deinceps consueta methodo & breuitate

respon-

respondendum est: Quod ut ordinarius & dilucidius fiat obseruandum est peste infectos plerumque multa eaque grauissima symptomata tum corporis tum animi pati: Et in primis nauseam & frequentes vomitus, singultus, tussim, sitim inexhaustam, cruris in ore abundantiam, sternutationes, suspirationem difficultem, linguæ tumorem, sudorem graue oлentem, per omnia membra dispersum, profundissimum somnum, animi deliquium, furorem, amorem, tantam subinde corporis insensibilitatem, ut pro mortuis reputentur: de quibus multi Medici, Historici, & Poëtæ: de prioribus corporis symptomatibus sic Galenus (a) loquitur: Non solum morsus patientur peste infecti, sed & alias affectus, tum qui nauseam in eis excitant, tum qui Cardigioni va- cantur & expultricem irritant. Et Thucydi- des (b) describens pestem, quæ suo tempo- pore Athenis grassata est: Iucundissimum (inquit) in gelidam seipso aquam inycere, id quod in puteos multi eorum, quibus custos deerat sese projicientes fecerunt inexhausta siti adacti, quanquam perinde erat plus ac minus bibere.

Lucretius Poëta de peste infecto loquens sic ait:

*Creber spiritus, raroq[ue] coortus.*

F 5 Et

a lib. 5. de loc.  
affectis, c. 6.

& lib. 5. sue  
method. c. 12.

b lib. 2. hist.  
de peste A-  
then.

Et Ouidius de eodem:

*Viscera torrētur primo, flammisq; fatiscant,  
Et rursus:*

*Aaspera lingua tumet, tepidisq; aarentia ventis  
Ora patent, auræque graues captantur hiatu.*

Et Lucanus de eodem:

*Atq; animi interpres manabat lingua cruento  
Debilitata malis, motu grauis, aaspera tactu.*

De posterioribus animi symptomatibus

a lib. 4. hist. Euagrius (a) describens pestem quæ suo seculo per quinquaginta duos annos totum fere orbem péragrauit, testatur plerosque peste infectos vi & magnitudine morbi de statu mētis dimotos vitam reddidisse. Cuius rei exempla & nos Leodii illo luctuoso anno 1579. plura conspeximus: his ita præmissis quærimus generatim, an pastores seu alii quicunq; sacerdotes teneantur ministrare sacramenta omnibus peste infestis.

#### Responso.

**T**enentur indifferenter omnib; egentibus & rite dispositis: hæc assertio colligitur ex iis, quæ superiorib; quæstionib; diximus de officio pastorali, hoc enim est potissimum pastoris munus ministrare sacramenta sine villa acceptance personarum: *Nam in Christo b ad Galat. 3 Iesu* (inquit (a) Paulus) *non est Iudeus neq; Grecus, neq; seruus, neq; liber, neq; masculus neq; feminæ.*

Dixi,

Dixi (*egentibus*) quia (*b*) non est opus valenti-  
bus medicus, quales sunt parvuli, qui defectu  
yus rationis nequum potuerunt peccare,  
saltem mortaliter, & à nativitate amen-  
tes, & si qui sint adulti, de quorum bono  
statu moraliter pastori constat.

*a Matth. 9.*

Dixi (*Rite dispositis*) quia alijs sacramenta  
non profundunt sed officiunt, & sacerdos illis  
scienter dispensans sacrilegium committit,  
indigne res sacras pertractans, contra vir-  
tutem religionis.

Dices: Pastores saepe dubitant de subdi-  
tis, an sint sufficienter dispositi, tenebuntur  
non obstante dubio, & illis ministrare?

¶. Tenebuntur si facto examine pro ra-  
tione temporis quod illis tunc conceditur  
manent speculatiue dubii, illo enim casu  
debent se practice resoluere & inclinare ad  
partem quæ fauet animæ, ut initio ostend-  
siam est.

## Q V A E S T I O    XXXVI.

*An tencantur etiam famulis & ancillis.*

Quæstionis explicatio,

**N**ota primo famulos & famulas præ  
dominis & dominab. citius peste cor-  
ripi eo q̄ illis ex officio incubuit huc & illuc  
ad procuranda domus necessaria discurre-  
re in foro & locis publicis versari, emere,  
mercari,